

# **Die Traditionen des Hochstifts Freising (Ed. Bitterauf), Nr. 390**

Notum est cunctis in domo manentibus sancti Corbiniani tam praesentibus quam etiam absentibus, qualiter Coteperht reddidit suum beneficium quod accepit de domo sanctae Mariae in manus Hittoni episcopi in loco nuncupante Otmareshard in manus fideiussoris conposuit Hatoni quicquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit cum talia vestitura, qualia missus domni Hittonis episcopi ibidem inveniret. Deinde venit Coteperht et tulit wadium in manu sua et tradidit in manus Hittoni episcopi equalem causam de suea propriae iuris alode ad domo sanctae Mariae quod sibi de paterno vel matrino accidisse videbatur et fatebat ibi coram domno Hittone episcopo, ut veniret ad ecclesiam sancti Corbiniani et ibi in praesentia eorum illam traditionem renovaret et tunc ibi complacitaret contra venerabilem Hittonem episcopum et congregationem eius, ut ambos res a domo sanctae Mariae in beneficium recepisset, ut ille ipse et filius eius, quounque in hac fragili vita degerent, ad eorum usum et potestatem haberent et post obitum eorum absque ulla contradictione firmiter teneatur ad domo sanctae Mariae. Et hoc cum testium munitione firmavit quorum nomina haec: Liutpald comes. Kaganhart. Anno. Reginperht. Kernand. Uto et alii plerique videntes hoc et audientes qui ibidem adfuerunt. Actum est hoc in loco nominato ad Pritilinpach XVIII. kal. febr. luna XVIII. anno Hludouici imperatoris IIII. inductione XI. Ego Pirtilo scripsi.